

ram arbitramini? Insubrum certe regionem, pro qua tot annos dimicatum est, quamque semper mirifice concupivit, brevi in potestate habebit; atque illum, qui ut avitum imperium Francisco Sfortiae restitueret, neque suasionibus, neque bellis flecti potuit, putamus, eo adepto, ullo unquam tempore redditurum? qui haec sibi persuadet, quam altas in Regum animis potentiae, ac regni cupido radices agat, non animadvertis. Novit optime Cæsar, magnum sibi gradum ad summam amplitudinem Sterni, si in Italia dominetur, quam nobilitate, viribus, auctoritate cunctis præcellere regionibus non ignorat. Idcirco nullum non movit lapidem, ut quantam maximum illius partem posset, suo adiceret imperio: saepius duces exercitus misit, decertavit, urbes atque oppida oppugnavit, in acie conflixit. Modo cum non adeo dejectas fœderatorum vires expertus esset, ut certam sibi victoriam polliceri posset, adventum ipse in Italiam parat; hoc uno arbitratus, illud, quod per duces perficere adhuc non potuit, se consequuturum, Italorumque principum animos sua præsentia dejectum, ac consternatum iri; cunctaque ad objectam ipsius fortunæ speciem casura sibi persuadet. Quid enim de Pontifice dicamus? qui post tot crumnas, atque contumelias ab Hispanis acceptas, hactenus, ut fœderi se adjungeret, nunquam adduci potuit: verum aut spe erigitur, aut timore detinetur. De Florentinisne loquar, qui cum suis cervicibus jam imminere præpotentem exercitum sentiant, neque consilio, neque viribus polent? Ferrariensemne, an Mantuanum commemorem, qui majorum principum sententiam, ac nutus observare coguntur? Quid igitur superest? Una Veneta Respublica quæ tot fluctibus, veluti inconcussa moles, objicitur, servitutis impatiens, libertatis acerrima propugnatrix: banc torvis oculis aspicit Cæsar, scit ab illa Italicarum rerum fortunam pendere, atque, ut saepius audistis, suis illam viribus adoriri, illius virtutem experiri se velle aperte dictitat; an illius potentiae vim, atque impetum sustinere possit, periculum facturus. Hæc cum ita sint, perpendiculariter, quæso, utrum de Hispania oppugnanda, an de defendenda Italia agendum vobis sit: cordi laboranti, cum tabifica lues invaserit, non externis, atque longinquis remediis subveniendum, sed intimis opitulandum est: propulsanda ab Italia insita